

Bibliothèque numérique

medic@

**Allan, Gaius-Felix - candidat / Dumont,
Jean-Baptiste-Louis-Pierre -
président. - De exostosi**

1770.

**Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.**

Cote : ms 2343, n°31

DE EXOSTOSI, THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

Quas, DEO JUVANTE & præside M. JOANNE-
BAPTISTA-LUDOVICO-PETRO DUMONT,
Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, nec non
antiquo Scholarum præposito, *tueri conabitur*, GAIUS-
FELIX ALLAN, *Laudunæus, præclaræ Artium Facultatis
Magister in Universitate Parisiensi, Theseos Author.*

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati vigesimâ-primâ Aprilis, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam
A. R. S. H. 1770.*


PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. D C C. L X X.

Hh.





D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE EXOSTOSI.

I.

OSSA quæ stabilitatem & formam corpori præbent, in primâ origine mollia sunt atque gelatinosa. Partes gelatinosæ inter se coherent, concrefcunt: cartilaginem aut membranam æmulantur vasis sanguiferis perviam: duritiem ac rigiditatem magis ac magis obtinent, & temperamentum osseum propiùs attingunt. È centro cartilaginis vel membranæ, emergunt fibræ ab invicem distantes, obliquè aut transversim excurrentes ad ipsas usque extremitates ossium; lamellas, cavernulas, cavitatesque efficientes. Ad ossium accretionem, soliditatem, ac duritiem plures fibræ unitæ sive strata sibi invicem accumbentia conferunt. Fit incrementum, & sic ossa ultimum perfectionis gradum acquirunt.

A ij

I I.

E VARIA fibrarum ordinatione triplex in plerisque ossibus oritur substantia poris & ductibus pertusa. Una exterior, compacta dicitur, pluribus fibrarum stratis arctius inter se connexis efformata, in *diaphysi* ossium longorum impensius collecta, extremitatibus vero parcius decrescens: altera interior, rara, spongiosa, cellulosa, lamellas offert irregulari ordine secedentes à compactâ substantiâ; innumeras constituit cellulas inter se communicantes, finibus ossium longorum majores & numerosiores; tenui membranâ investitâ succo medullari imbuuntur. Tertia rarior reticularis audit, filamentis tenuibus axim ossium cavorum transversim secantibus, aut in longum ductis, conflatur.

I I I.

OSSIBUS immediatè super expanditur & adhæret membrana quam PERIOSTEUM vocant Anatomici; ex laminis minutissimis mirè contexta, quarum aliæ super alias sternuntur; vas sanguiferis ac nervis prædita, quæ in ossium cavum penetrant. PERIOSTEUM nullo sensu gaudens, nisi in eâ parte ubi nervi trajiciunt, integumentum ossium constituit. Alterum PERIOSTEUM in internâ ossium superficie demonstratur. Membrana est tenerrima, sensilis, per cancellos eorum dispersa, cavum majorum ossium investiens; telam araneæ adæquans vas rubris irroratur; in vesiculis quas efformat reconditur oleum medullare quod in cellulosâ ossium parte diffluit & in eorum cavo massam duram refert; omnia laminarum ossæarum intervalla, fibrarum interstitia & ipsam superficiem pervadit. A sanguine, vel per fines arteriarum vel per earum poros, oleum illud medullare feceruntur.

I V.

Ex Anatomia patet ossa, ut partes molles, pluribus vas irrigari quæ & per ipsam substantiam & in illorum cava humores deducunt. Non mirum igitur mala partibus mollibus communia, ossibus evenire. Inter morbos qui illorum con-

5

tinuitatem lædunt, tumores recensentur variis nominibus insigniti, *EXOSTOSIS* scilicet, *Pædarthroace*, & *spina ven-rosa*. De *EXOSTOSI* tantùm differere fert animus.

V.

TUMOR præternaturalis ossèâ substantiâ enatus, partem ossis occupans, dicitur *EXOSTOSIS*. Hæc excrescentia variam formam exhibens, versùs interiora, vel exteriora prominens, modò doloris expers, modò particeps, duritie ac mole admodùm discrepat. *Spuriam* & *legitimam* admittunt authores.

V I.

EXOSTOSIS spuria, sub dura, digito prementi plùs minusve cedens, periosteo spissato constat: absque ullâ ossis labe observata, ità tamen ipsi adhæret ut unâ coalescere videatur. Periosteum occalescens pro duritie discrimine ab authoribus *tophus*, *nodus* perperàm dicitur; hæc enim tubercula ad hyperostoses artriticas pertinere valent. Venereo morbo Periosteum *schyrroideum* crebriùs intumescit, dolores acutissimi superveniunt, noctuque augment: si tumor incidatur, humor plerumque flavus, *gummi* instar spissus, è vulnere prorumpit.

V I I.

Ut *EXOSTOSIS spuria* curetur, diligenter perpende causas. Aliquandò, exhaustâ vitiorum labe, funditùs sanatur. Si tamen, vitii debellatis, non evanescat, tunc variâ operatione, pro re natâ, eximendam censemus, vulnus deligandum & ad cicatricem perducendum.

V I I I.

EXOSTOSIS legitima duplex occurrit: alia folida, *eburnea*, reliquo osse candidior, nullis cavernulis instructa, dolorum ac cariei immunis, maxima duritie, substantiam quasi *eburneam* mutuasse videtur. Altera verò *osseo-spongiosa*, doloris inexpers, reredine ut plurimùm stipata, concamerationem efformat, sub quâ spelunculæ permultæ, materiâ pessimæ indolis &

substantiâ cartilaginis interdùm, aut carnis æmulâ, plenæ delitefcunt (a).

I X.

HÆC Exostosium genera in benignas & malignas dividuntur: *benignæ* à causis externis sæpe sæpius oriundæ, nullis stipantur accidentibus, nihilque molesti afferunt, dummodò functiones & organa neutiquàm lædant: hæc in classe referuntur *eburnæ*. Si à causis internis ortum duxerint, si quid cariei, fungositatis, aut variæ luis lateat, *malignæ* reputantur: hæc symptomata in *osseo-spongiosis* præcipuè existunt. Non à naturâ tantum, à sede etiam differunt Exostoses; in lue venereâ laborantibus, satis frequenter in capite, uti etiam in partibus ossium cute proximis observantur.

X.

EXOSTOSIUM causæ sunt externæ vel internæ: hæc frequentiores, ex pravâ humorum *diathesi* & à quibusdam vitiis, nempe *strumoso*, *cancroso*, quandoque *scorbutico*, maximè *venereo*, &c. oriuntur. Causis externis, ictu putæ, lapsu, fracturâ, &c. EXOSTOSES efformari iteratâ observatione comprobatum est. Exostosis cavernosæ à causâ externâ memorabile suppeditat exemplum nunquam satis laudandus Illust. Petit (b). His ex causis nascitur iste morbus quoties cumque ossium vasa obstruuntur: tunc liquores in illorum cavitatibus stagnantes ossium substantiam distendunt: vasis distensis; fluida sensim affluentia, vel inter lamellarum interstiria excurrunt, vel extrâ os aut in canali ossium vasis disruptis effunduntur (c). Si succus vasis emissus, ossium cellulas laminarum strias distendens, genuinæ sit indolis, Exostosis

(a) Morgagni ferrâ dissecuit extuberantiam in osse sinistri femoris, spheroidis formâ, sed pomî medioeris magnitudine. Eam ex ossis cellulis constantem vidit, medullari oleo liquido & flavo scatentibus; ossis autem cavum quod illi Exostosi respondebat, majori copiâ referunt olei ejusdem modi. *De sedibus morb. Ep. 50.*

Vid. etiam in act. Reg. Scient. Acad. anno 1706. Dissertationem à Clar. Merry, cui titulus, *Description d'une Exostose monstrueuse*, pag. 245.

Consule etiam Observ. Clar. Houstet in Act. Reg. Chirurg. Acad. Tom. III, pag. 137.

(b) *Trait. des Maladies des Os, Tom. II, pag. 389.*

(c) Consule quæ communicavit DD. Houstet, loco citat. p. 130.

erit *benigna*; Si sit *pravus*, in rodentem vertitur *faniem* quæ maximam mollitiem, fragilitatem conciliat; carcinoma alia-ve teterrima *accidentia* parit, & tunc *maligna* dicitur.

X I.

U T magis innotescant signa Exostofium diagnostica, humorum *diathesis* sedulò perpendenda. Venereæ à benignis scorbuticis, strumosis, &c. signis peculiaribus facilè distinguuntur. Si luis venereæ sit proles Exostosis, cruciatibus plerumque torquentur ægroti; diris symptomatibus, cancrifis nempe pudendorum ulcusculis, gonorrhœa, &c. laborant vel saltèm, laborarunt. Scorbutica est, sed minùs frequenter, cum ingurgitantur lividæ sanguinem aut *faniem* mittentes gingivæ, crebrò spuenti fœtet halitus, & maculæ purpureæ per cutim dispersæ non deficiunt, &c. qui tumoribus glandularum in collo, inguine & sub axillis ab ineunte ætate conflictatus est, & cui, etiam nùm ætate proveciore, in diversis corporis partibus glandulæ conglobatæ sub inde turgent atque indurescunt, is strumosâ affligitur Exostosi. Ex aliis sobolescit cancrofa, &c.

Ab Exostosis essentiâ, situ, volumine, complicationis & exitûs naturâ, faustus vel non, præfagiendus est eventus.

X I I.

Quod ad benignas spectat Exostoses quas solâ vi, aut quâpiam externâ percussione sæpiùs produci diximus; nullis ferè unquam medicamentis profligari docent experimenta; quâpropter, ex iis si nihil incommodi superveniat, intactas relinquendas esse sentiunt practici. Si verò mole aut situ musculorum, aut vasorum actionem magnoperè afficiant, undè molestia & dolor, Operatione Chirurgicâ sic eradicandæ. Tegumentis Exostosi incumbentibus cautè decussatim incisis, vulnus, quòad sit omnino detectus tumor, amplietur; tunc abrafo Periosteo, aridis deligetur linamentis; die postero multiplicibus in locis trepano perforante terebretur ossis superficies; postea malleolo plumbeo & cuneo perforata pars sedulò detrudatur & auferatur; quod superest eminens, scal-

pro deradendum. Operatione peractâ, quid sit agendum, & quo pacto ad exfoliationem perducendum infra patebit.

X I I I.

CAVERNOSAS aut *osseo-spongiosas* Exostoses, quamvis à causis externis rariùs procedant, medicaminibus quidem efficacissimis plurimùm non cedere, expedit quoque notari. Has si funditùs evertere absolutè sit necessarium; scalpro exciforio solerti manu auferantur. Si autem pravæ sint indolis, quales, v. g. venereæ; ad specifica remedia priùs confugiendum. Observatis quippè constat hujusce modi tumores mercurialium usu sæpe sæpiùs sensim decessisse; attamen non nunquàm evenit, lues venereâ radicitus profligatâ, superstites relictos fuisse si longâ vetustate nimium indurati sint, undè *syphilidis* nova scaturigo si non omninò, in sede tumoris, lues evanuerit; hinc tumoris curationem, topicis mercurialibus plerùmque non irritò conatu, suscipiunt Chirurgi.

X I V.

U B I verò cavernosæ aut solidæ Exostoses venereæ, nec internis medicamentis, nec hydrargirofi, cedunt: si spontè aut remediorum usu nimium vexatæ acutè doleant, adsitque superjectæ cutis calor & manifestus rubor, urget periculum, abscessus aut, quod pessimum est, carcinoma imminet; tunc unica super est operatio, de quâ, cum de benignis agebatur, monuimus. Cute excisâ, raso Periosteio, ad moto trepano perforante, ablatâ totâ ossis morbosâ protuberantiâ, media quæ cariei fugandæ competunt, seligenda sunt; inter quæ *myrrha*, *aloës tinduras* aut *pulveres*; *oleum cariophyllorum*, *ligni guaiaci*, &c. cum *spiritu vini* suadent quidam; alii ad exfoliationem citiùs promovendam, *ferrum candens* pluris faciunt. Demùm exfoliatione perfectâ curationem, ut artis est, Chirurgus perficiet.

F I N I S.